

Rome, janvier 1601.

/ Admodum Illustris et Reverendissime Domine. Et literis, et sermonibus multorum jam ante cognoveram non solum Reverendissimam Dominationem Vestram ad episcopatum Vratislaviensem canonice electam, sed, quod omnibus bonis jucundissime accidit, sine ulla vel ambitione electi, vel discordia electorum. Itaque electionem tam illustri significatione Spiritus Sancti commendatam Summus Pontifex sine ulla dubitatione libentissime confirmabit. Nostrae partes erunt pro celeri expeditione negotii laborare, quod unum à nobis requiri posse videtur. Reverendum, atque eximium virum Dominum Balthassarem
5 Neandrum gratissime excepimus, eique operam nostram et studia obtulimus. A Deo autem precor, ut qui coepit in vobis opus bonum, ipse perficiat, et qui ad opus non minus laboriosum, quam periculosum personam vestram vocavit, idem ipse ita dirigat, et protegat, et donis omnibus Spiritus Sancti repleat, ut cum apparuerit Princeps
15 Pastorum immarcescibilem gloriae coronam de manu eius percipiatis. Reverendissimam Dominationem Vestram mei memorem in orationibus suis Deus noster incolumem conservare dignetur. Datum Romae.
Episcopo electo Vratislaviensi.

F. B. 5, fol.140. Brouillon autogr. - Fuligatti, Epist.famil.
20 XIII, sans date.